

ÖFVERSIGT

AF

KONGL. VETENSKAPS-AKADEMIENS

FÖRHANDLINGAR.

SJUTTONDE ÅRGÅNGEN

1860.

MED SJUTTON TAFLOR

OCH

ETT BIHANG METEOROLOGISKA IAKTTAGELSER.

15



STOCKHOLM, 1861.

P. A. NORSTEDT & SÖNER,

Kongl. Boktryckare.

Novitiæ quædam Licheneæ Norvegicæ. — Exponit
WILLIAM NYLANDER.

[Meddeladt den 13 Juni 1860.]

Cel. W. P. SCHIMPER examini meo subjecit messem Lichenum ex itinere suo anno 1847 in Norvegia peracto. Varia insigniora inter eos vidi vel pro Norvegia nova vel omnino scientiæ nova. Ita *Synalissa symphorea* DC. aderat, in hac collectione, e Dovre immixta cum *Lecidea lurida*; *Lecidea triphragmia* NYL. ex eadem alpe, muscicola; *Lecanora frustulosa* ACH. ibidem æque ac *Lecanora thiodes* ACH., quæ ab eadem specie distinguenda sit. Quoque inde vidi *Lecanoram fuscoluteam* ACH. forma apotheciis lecideinis nigro-marginatis planis vel convexiusculis (var. *perimelæna*, si placet) et *Lecideam globiferam* forma thallo pallido squamis adscendentibus vel suberectis sæpe albo-marginatis (var. *dilata* mihi). Sed novitias sequentes præsertim hic exponere volui.

1. *Nephromium expallidum* NYL.

Thallus pallidus vel pallide lividus late membranaceus (latit. 4—5 pollicaris) lobatus, subtus adhuc pallidior et tenuissime tomentellus plaga media ibi solum late fusco-nigricante; apothecia badio-rufa margine receptaculari subintegro, mediocria (latit. circa 5—6 millim.); sporæ incolores fusiformi-oblongæ, 3-septatæ, longit. circa 0,020 millim., crassit. circa 0,006 millim.

In alpe Dovre, Kongsvold, lecta a cel. W. P. SCHIMPER.

Facie est *Nephromatis australis* RICH. *Astrol.* t. 9, f. 2, sed *Nephromium* nec *Nephroma*. Colore thalli pallido primo obtutu a ceteris *Nephromiis* distinguitur. Pagina supera thalli subtomentella vel saltem opaca; stratum gonimou viride (granulis gonimis minutis viridibus); in pagina infera quasi parasitæ pyrenodeæ sparsæ protuberantes conspiciuntur intus obscure coerulescentes; sunt cephalodia.

Obs. 1. — De nota distinctiva generum *Nephromatis* et *Nephromii* e strato gonimo sumta animadvertam vix ullam momenti esse posse majoris; nam examine pulvisculi minutissimi thalli ex invicem facillime distinguuntur.

Obs. 2. — *Nephroma australe* RICH., ab auctoribus confusum cum *Nephromate antarctico* (JACQ., LAM.) et *N. arctico*, est species

distinctissima et in mea *Emmér. génér. des Lich.* p. 101 dictum *N. pallens*; sed nomen Richardianum restituendum. *Nephroma antarcticum* egregie jam a Jacquin et a Lamarek expositum dignotumque ab *arctico*, a recentioribus cum hoc commixtum fuit. Infaustissime cel. Montagne in *Fl. Chil.* 8, p. 98, ubi lichenem chilensem (*antarcticum*) describere debuit, diagnosin speciei dat arcticæ!

2. *Verrucaria subumbrina* NYL.

Thallus fusco-cinereus tenuis rimosus sat determinatus; apothecia mediocria hemisphærico-prominula a thallo (vel indumento tenuissimo thalino) plerumque tecta, ostiolo denudato epithecio minutissime vel vix impresso, perithecio nigro integro; sporæ 8:næ sordide nigrescentes vel fusco-nigrescentes ellipsoideæ murali-divisæ, longit. 0,046—55 millim., crassit. 0,023—24 millim., thalamium tractibus subtilissimis anastomosantibus saltem sparsis pertensum. Gelatina hymenea iolo vinose rubens.

Supra saxa micaceo-schistosa in Dovre (SCHIMPER), socia *Lecideæ coarctatæ*.

Facie est externa *Verrucariæ umbrinæ* (ad eandemque pertinens sectionem generis), at thecis 8-sporis et gonidiis hymeneis nullis distincta.

3. *Verrucaria methoria* NYL.

Thallus tenuis ferruginose rufescens vel cineracee ochraceo-rufus determinatus et nigricanti-limitatus rimosus; apothecia mediocria, basi sæpius a thallo tecta, sat prominula, perithecio dimidiatim nigro, epithecio impresso; sporæ 8:næ ellipsoideæ simplices vel 1-septatæ, longit. 0,040—45 millim., crassit. 0,016—18 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa ad Nidarosiam (SCHIMPER).

Thalli plures contigui saxum late tegentes et limitibus nigricantibus solum invicem distincti (ut in *Lecidea rivulosa*, sed minores vel latit. 5—15 millim.). An vero color constans vel typicus? Forte thallus cinereus quoque occurrat.

4. *Pannaria prætermissa* NYL. fertilis in Dovre. Apothecia lecanorina. Sporæ long. 0,018—23 millim., crassit. 0,009—0,011 millim.

5. *Lecanora rhypariza* NYL. in hb. SCHIMP. Thallus pallidus vel pallide lurido-cinereus granulatus vel granuloso-

squamulosus, granulis vel squamulis sublobulato-confluentibus aut interdum subdispersis; apothecia fusca plana mediocria, margine thallino demum excluso; sporæ 8:næ lineari-oblongæ simplices, longit. 0,021—27 millim., crassit. 0,006—7 millim. — Supra terram alpinam in Dovre (W. P. SCHIMPER). — E stirpe est *Lecanoræ subfuscae*, nam spermatia tenuiter acicularia leviter curvata vel subrecta (longit. 0,007—8 millim., crassit. non 0,001 millim.); species distinctissima, faciei sæpe lecideinæ*).

6. *Lecidea ochrocoeca* NYL. in hb. SCHIMP. — Thallus lutescenti-ochraceus granulosus effusus, granulis sat parvis contiguus vel subdispersis firmulis; apothecia rufa vel rufescentia, latit. 0,5 vel fere usque 1 millim., plana, margine obtuso vel non distincto, intus albida; sporæ oblongo-fusifformes incolores parvæ, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,003—0,0035 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea iodo coerulescens. — Ad cortices pini in Norvegia meridionali (W. P. SCHIMPER). — Affinis *Lecideæ vernali*, colore autem mox thalli distincta.

7. *Lecidea squalescens* NYL. — Thallus pallide luridus vel luride cinereo-fuscescens vel lurido-cinerascens rugosoplicatus (e granulis mediocribus crustose subconfluentibus basi substipitato-angustatis formatus); apothecia nigra sat parva convexinscula immarginata, intus alba; sporæ 8:næ parvæ incolores ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses non discretæ. Gelatina hymenea leviter coerulescens. — Supra terram alpinam in Dovre (W. P. SCHIMPER).

8. *Lecidea rhevoblephara* NYL. *Enum. suppl. p. 337.* — Ibidem lecta a cel. SCHIMPER supra *Gymnomitrium concinnatum*. Thallus vix ullus. Apothecia nigra margine rhagadiose diffracto (sensu radiorum apothecii). Sporæ incolores, 3-septatæ longit. 0,018 millim., crassit. 0,007 millim. Hypothecium nigrum.

*) In Suecia vel Norvegia forte quoque inveiunda *Lecanora pyreniospora* NYL. in Mus. FENN., simulans statum diminutum crustaceum *Lecanoræ sophodis*, at sporis forma ut in *Verrucaria nitida*; ad corticem juniperi prope Helsingfors.